

*Donatio hereditatis Joh. Granduli de Cavatorio
mortui sine liberis, ac devolutæ ad Cameram
Episcop. Belengio Turco ejusdem loci.*

354

MCCCLXXX.

Anno Nativitatis Domini MCCCLXXX., indi-
ctione III., die XXIV. octobris in majori Ec-
clesia Aquensi præsentibus magnifico viro D. Isnardo
marchione Malaspina, Lancia Forfia (1), & Barono
de Baronis (2) familiari domini Malaspinae, in quo-
rum & mei Notarii præsentia Rev. in Ch. P. &
D. Fr. Conradus Aquensis Episcopus, & Comes
Dominus spiritualis, & temporalis loci hominum,
& totius jurisdictionis Cavatorii cum
sit consuetum succedere in omnibus bonis mobilibus,
& immobilibus hominum dicti loci, & ibi habitan-
tium, quando sine filiis legitimis ex se natis dece-
dunt; ecce quod idem Dominus Episcopus volens
de bonis, & rebus, juribus, & hereditate, quæ
fuerunt quondam Johannis Granduli de Cavatorio,
qui sine filiis legitimis ex se natis decessit, Belen-
gio Turco de dicto loco gratiam facere specialem
cum uno baculo, quem in suis manibus tenebat,
investivit prædictum Belengium præsentem pro se,
& suis heredibus recipientem de omnibus, & sin-
gulis bonis, & hereditate, quæ fuerant, & erant
dicti quondam Joannis, & quæ ad ipsum quocum-
que modo, jure, vel causa spectabant, & pertine-
bant, seu spectare, & pertinere poterant, videlicet
de domibus, sediminibus, ædificiis, hortis, terris,
pratis, vineis cultis, & incultis, boschis, castagne-
tis, & possessionibus aliis quibuscumque, ac re-
bus mobilibus, & immobilibus, quæ quidem pos-
sessiones, res, bona, & jura supradictæ dictæ here-
ditatis exentæ (3) erant ad Cameram dicti Domini
Episcopi pervenerant jure consuetudinis longo, &
longissimo tempore approbatæ, & obtentæ inter
ipsum Dominum Episcopum, & antecessores suos in
Cavatorio, & inter homines Cavatorii, & ibi habi-
tantes; eo quod dictus Dominus Johannes decessit
sine filiis legitimis ex se natis, quæ de causa dicta
hereditas ad dictum Dominum Episcopum, & ejus
Cameram devoluta est pleno jure tali modo, &
forma, quod dictus Belengius, & heredes sui . . .
hereditatis prædictæ salvo semper jure &
honore dicti Domini Episcopi Aquensis Ecclesiæ, &
salvis aliis juribus quibuscumque. Pro qua quidem
investitura dictus Dominus Episcopus fuit confessus,
& contentus habuisse, & recepisse a dicto Belengio
januinos duodecim boni auri, & justi ponderis, de
quibus omnibus, & singulis præceperunt per me
Notarium infra scriptum fieri publicum instrumentum.

Ego Johannes Mumbellus de Visono Imp. auct. Not.
hanc cartam prout inveni in cartulariis sine proto-
collis Domini Francisci de Carpeneto Not. de man-
dato Domini de Rogeriis Vicarii egregii viri D.
Thomæ M. Malaspinae nil addito, vel mutato ecc.

(1) *Kavansfortia.* (2) *Bavano de Bavanis.*

(3) *Excaita* (idest) *erant & devoluta.*

*Commendatio castrorum Bestagni, Castelletti,
& Roncozenarii a Ven. Henrico Scarampo
Ep. Aq. facta Theodoro Montisfer.*

MCCCLXXXIII.

355

Hoc est summarium copiae instrumenti pactorum
habitorum int. Rev. in Ch. P. & D.D. Hen-
ricum de Scarampis Aquensem Episcopum, & Ni-
colinum de Cavagnolio procuratorem Ill., & Ex.
Principis DD. Theodori M. Montisferrati.

In nomine Domini amen. Anno Nativitatis ejus-
dem MCCCLXXXIII., indictione VI., die penul-
tima junii cum pro parte R. D. Henrici de Sca-
rampi Episcopi Aquensis facta fuerit requisitio, &
oblata fuerint Ill. Principi D. Theodoro Marchioni
Montisferrati capitula continentia infra scripta.

Infrascripta sunt illa, quæ offert, & petit Domi-
nus Henricus Episcopus Aquensis Ill. D. Theodoro
Marchioni Montisferrati.

Primo offert ponere velle personam suam, castra,
fortalitia, loca, jurisdictiones, & homines Bestagni,
Castelletti, & Ronchezenarii Aquensis Ecclesiæ in
manibus, forcia, protectione, & defensione, & sal-
vanguardia ill. D. Marchioni Montisferrati retinens
sibi omnes redditus molendini, fodri, furni, fictum,
pedagii, & possessionum Ecclesiæ Aquensis in dicta
villa Bistagni. Alii autem redditus, ac poenæ, &
banna ipsorum locorum, ac omnes, & singuli re-
ditus dictorum locorum Castelletti, & Roncozenarii
remaneant D. Marchioni pro custodia dictorum lo-
corum.

Item petit, & requirit quod D. D. Marchio, cum
decisum fuerit a summo Pontifice, teneatur sibi,
vel cui pertinuerit dicta loca dimittere expedita una
cum aliis juribus dictæ Ecclesiæ, quæ pervenerint
ad manus suas.

Item promittit dictus Nicolinus, quo supra no-
mine præfato Domino Episcopo, quod D. Marchio
faciet ei debitam reverentiam impendii in ejus ter-
ritorio, & de redditibus Ecclesiæ Aquensis perti-
nentibus in suo territorio constitutis faciet ei re-
spondere.

Qui Nicolellus procurator præfati Domini Mar-
chionis prætendente, & requirente,
ac sponte confitente præfato Domino Episcopo re-
cipit præfatum Dominum Episcopum castra, fortali-
cia, jurisdictiones, & homines prædictorum loco-
rum Bistagni, Castelletti, & Roncozenarii sub pro-
tectione, salvanguardia, & defensione Domini Mar-
chionis sub pactis, oblationibus, reservationibus,
retentionibus, & conventionibus superius per ipsum
Dominum Episcopum requisitis.

Quæ quidem omnia, & singula dictus Nicolinus
procurator D. Marchionis promittit dicto
Domino Episcopo in præsentem recipienti, & stipu-
lanti vice, & nomine suo, & vice, & nomine
Aquensis Ecclesiæ attendere, & observare, & nullo
tempore contrafacere, vel venire aliqua ratione,
causa, vel ingenio, de jure, vel de facto sub obli-
gatione omnium bonorum præfati Domini Marchionis.

Ego Conradus de Zabreris civis Aquis Impe-
riali auctoritate Not., ac Episcopalis curiæ Aquensis